FRANCISCI VBALDI IVRISCONSVLTI PERVSINI ORATIO AVENIONE

HABITA DIE XVII. DECEMBRIS M. DC. VIII.
IN AMPLISSIMO, ET PRIMARIO LEGVM
AVDITORIO, CVM EO PRIMVM DOCENDI
IVRIS CIVILIS CAVSA ACCEDERET.



AVENIONE,

Ex Typographia I. BRAMEREAV,
Ex Superiorum permissu.

M. DC. IX.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO
S. R. E. CARDINALI SCIPIONI
BVRGHESIO LEGATO AVENIONENSI DIGNISSIMO.

FRANCISCVS VBALDVS I. C. S. D.

ORATIONEM, à me hac in Vrbe habitam ipsa primùm die, qua in huius Nobilissimi Auenionensis gymnasii primarium ad docendum locũ conscendi, nunc autem multorum hortatu, & impulsu potiùs, quam meo iudicio, editã ad te mitto(CARDINALIS AMPLISSIME*) testem, si minus eloquentiæ, quam in me nullam esse sentio, neque ab homine Iurisconsulto magnopere requirendam puto: at certè officij, & obsequij, quod sapientissimo Auunculo tuo summo Pontifici Paulo V., quod tibi debeo, debeboque dum viuam, vnus omnium minimus maximum: quorũ fœlicissimis auspicijs hac se Academia instauratam, ornatã, & amplissimi honorarij à munificentissima hac ciuitate constituti, accessione auctam agnoscit, quorum iussu ego ad ius ciuile in ea publice profitendum me accitum, missum, eò magis gloriari possum, quò minus, qui accirer, mitterer, me fuisse di-*

gnum intelligo. Ergò Orationem accipies tu quidem hilari & facili vultu, quod mihi de te tua perpetua multis testata erga me meritis benignitas pollicetur, & alij legent tuo ornatã nomine multò libentius; sic vt cum non paucos conijciam fore, qui quærant, ecquid illi secuti fuerint, qui mihi editionis auctores fuerunt, neminem tamen futurum putem, qui meũ de ea, qualis qualis illa sit, ad te mittenda consilium reprehendat: quippe eiusdem nominis splendor cum depellet tenebras Orationis meæ, tùm præstringet forte oculos mentesque legentiũ, vt quidquid in ea fuerit minus aptum, aut vix internoscant, aut certè condonent multo faciliùs. Vale. Auenione.

FRANCISCI VBALDI IVRISCONSVLTI PERVSINI

ORATIO AVENIONE HABITA die XVII. Decembris M. D. C. VIII. im amplissimo, & primario legum Auditorio, cum eò primum docendi iuris Ciuilis causa accederet.



VLGARIS est, & non solùm cõmuni hominum consensu, & rerum experimento recepta sententia, sed in omnium penè mortaliũ ore contrita vox, naturalem esse hominis cupiditatem discendi; qua ductus nihil non sibi faciendum, & moliendum existimet, quò plurimarum rerum scientiam, & cognitionem assequatur; itaque non contẽtus ijs, quæ domi, & in promptu habet quæ cognoscere nullo negotio possit, si quid etiam apud exteras nationes egregium, si quid admirabile esse inaudiuerit, protinus sibi illud quoque cognoscendum, ac cominùs conspicandum putat: superat iuga montium penè inuia, & inaccessa viator nauus, maria tranat vastissima, & infesta, oblitus patriæ, parentũ, vxoris, liberorum, cæterarumque rerum carissimarum, vt ad optatam rerum cognitionem peruenire possit. Quod si leuissimarum interdum rerum scientiæ desiderium id efficere potest, vt nullo labore, vitæque periculo, nullo sumptu abstineat qui sibi id proposuit,

vt illas ne ignoraret, quantò tandem vehementius eorũ excitari cupiditatẽ oportet, qui rerum præstantiũ, & à vulgi captu remotarum cognoscendarum studio teneatur? Testes sunt antiqui Philosophi quam plures, qui quidem cùm vel essent ipsi suopte ingenio, & industria perfectam disciplinarum omniũ laudabilium cognitionem assecuti, vel Academias domi haberent omnium celeberrimas, in quibus assidua litterarũ, & doctrinarum omnium tractatio cuiuis facile discẽdi sitim explere potuisset, tamen exteras etiam prouincias lustrabant, montes, & saltus traijciebant, nouos adibant populos, vt à nouis præceptoribus noui aliquid semper addiscerent, & tandẽ post longas peregrinationes, peregrinam quodammodò, & reconditam ad suos sapientiam reportarent: sic celeberrimus Philosophus Pythagoras, ille quinquennalis silentij cultor egregius, & præceptor, qui professione Philosophiæ in extrema Italiæ ora effecerat, vt in ea non nomen Græciæ solùm, magnam enim Græciam veteres appellarunt, sed eruditionem etiam, & cultũ doctissimæ illius prouinciæ liceret agnoscere, tamen discendi studio ductus nauigasse in Ægyptum fertur, vt Memphiticos vates audiret philosophantes, sic Anaxagoras, sic Crates Thebanus, sic Cleanthes, sic Democritus, dum sedulo perquirunt, & inuestigant, vt eleganter scribit D. Hieronymus, toto penè orbe terrarũ fugiẽtes litteras, varia, & lõgissima emensi dicuntur itinera, ille ipse princeps ingenij, & doctrinæ Plato, quem diuinum omnes, quem Phæbi filium Græci, quẽ Philosophorum Deum Cicero nominat, cum patriã nactus esset illas omnium liberalium artium inuentrices, & cultrices Athenas, cùm præceptore vsus esset illo, vel diuino iudicio, sapientissimo omnium mortalium Socrate, cum eius fama scientiæ iam non Academiæ spatijs cõcluderetur, sed per vniuersum terrarũ orbem diffusa,

bem diffusa, admirationem alijs adduceret, illi immortalem nominis celebritatem compararet, tamen & ipse Ægyptũ diligentissimè peragrauit, & in Siciliæ insulam ter nauigasse perhibetur, vt ibi Architæ illius tarentini dogmata, & philosophandi rationem cognosceret. O mirificum igitur, summeq; laudabile discendi studium quid non efficis, simul atque hominis animum occupasti? Occupas autem ab ipso statim naturæ ortu, hic cibus, hic pastus hominis propriùs est, quo alitur, ac reficitur, quo sustentatur, ac planè viuit; qui eum quamuis quietis sua natura cupidum, quamuis amantem patriæ, ac suorum, in remotissimas tamen regiones ablegat, & longissimas suscipere cogit peregrinationes. Cæterũ licet hæc verissima esse, & semper senserim, & nunc ex hoc loco publicè profitear, mihi tamen paulo attentius cogitanti veniebat interdum in mentem, ad hunc modum ratiocinari, si qui discendi, ac cognoscendi cupiditate adducti longe gentium peregrinati dicuntur, eos summis laudibus, & celebrauit antiquitas, & vniuersa ad cœlum extulit posteritas, illos certè nõ mereri esse illaudatos, qui vt alios liberalibus artibus erudirẽt, patriam sibi deserendam, atque ad exteras commigrandũ nationes putassent; nam præterquam quod docere laudabilius est quàm discere, quòd qui addiscit, id ipsum, quod scire cupit, sibi deesse præsefert, quo contra, qui docet, abundat; quãti illud æstimandum est, quod qui cognoscendi, & sciendi incensus studio exit, sibi consulit ipsi, & rem suam agit priuatã, qui, vt alios erudiat, peregrinatur, publicæ prospicit multorũ mortalium vtilitati? Itaque mihi quidem haud paulo præstãtior superioribus Philosophis vnus videtur Peripateticorum princeps Aristoteles, alijs fortasse etiã nominibus, sed hoc certè potissimum, quod ij, vt discerent, fortasse etiam aliqua leuio-

ium rerum

rum rerum cognoscendarum curiositate adducti peregrinatores fuerunt, hic verò à potentissimo, & fortissimo Macedonũ Rege Philippo accitus, vt filium Alexandrum humanitate, & Philosophia informaret, comes ei posteà longissimorum itinerum, & maximarum victoriarum fuit. Quamobrem cum me Viri sapientissimi, quibus huius Nobilissimi gymnasij cura credita, & commissa est, quamuis ignotum vobis hominem, & longo terrarum marisque tractu à vobis dissitum, moti tamen iudicio, & auctoritate Sanctissimi D. N. Pauli quinti Pontificis Maximi, & Illustrissimi Legati vestri Cardinalis Burghesij, vocandum vltrò, & amplissimo inuitandum honorario censueritis, qui vestram iuuentutem è superiore loco docendo instruerem, atq; erudirem, planè ita statuo, neq; quidquá mihi honorificentius potuisse contingere, neq; minimam me laudem assecutum videri posse, qui relicto patrio honestissimo gymnasio, in quo per aliquot annos, non sine aliqua hominum commendatione docueram, viæ quamuis bene longæ dare me, & ad hanc vestram celeberrimam, & florentissimam tum Vrbem, tum Academiá conferre constituerim. Qua in re nolim sane illud quisquá existimet, me, propterea quod alios edocturus ex remotiori regione huc venerim, pulchriorem mihi, & beatiorem videri, quam Plato, aut Anaxagoras, aut alij præstantissimi fuere Philosophi, quos discendi adductos studio orbem terrarum peragrasse diximus, sed vt eò illustrius, & splendidius appareat beneficium vestrum, illa me superiora commemorasse: ad quod quidem beneficium prædicandum, & longissima oratione ornandum, vellem mihi ea suppeteret dicendi facultas, quæ in hominibus disertissimis, & dicendo exercitatissimis reperiri & admirationem omnibus excitare solet; nunc verò cum, & quam sim in dicendo infans, mihi consciu

mihi conſcius ſim & iam pridem ſepoſito eloquentiæ ſtudio longe aliam me ſtudiorum rationem ſecutum eſſe intelligam, accidit perincommode, vt quam vobis debeo, & habeo gratiam, eam vix vſitata & vulgari oratione exprimere, ne dum, quod vellem, ac deberem, lectiſsimis ornare atque illuſtrare verbis poſsim. Sed omninò magnum mihi eſt conſtitutum in veſtra benignitate ſubſidium, quam ſemel magna mea cum voluptate, & bono expertus, mihi vnquam defuturam non dubito, quaq; adducti, ſpero fore, vt hoc meum qualecunque, quod vobis hodie præſto, officium, æqui bonique faciatis. Tria igitur enarrare inſtituā breuiter, populari potiùs, quàm oratorio ſtylo, vt quoniam ad docendum venerim, quid tandem ſim docturus, apud quos, ecquis ego, & quo ſim genere interpretandi vſurus, aperiam : itaque implorata illa, quam inuocat apud Platonem Callicles, Mnemoſyne memoriæ Dea, aut potiùs potiore illo, ac veriore Dei immortalis numine, quod ſupplicibus, ſuæque opis egentibus nunquam non adeſt, iam exordiar, illud à vobis etiam atque etiam petens, exigui temporis mihi attentionem ne denegetis, & aures vt veſtras, præteruolantis horæ ſpatio, noſtra ne oratio præteruolet, enitamini. Iam, quod ad primum pertinet, neminem veſtrum ignorare arbitror, me non leuem aliquam, aut ludicram profeſſurum artem, ſed diuinam, atque admirabilem ſacrarum legum ſciētiam, quibus nihil hominum generi vtilius, nihil ad tuendam hominum ſocietatem prouidentius à Dijs immortalibus conceſſum eſt ; cuius quidem ſcientiæ etſi ea præſtantia eſt, vt, ſine cuiuſquam præconio, ſua poſſit eſſe dignitate commendatiſſima, & verò eius laudes iampridem ab hominibus ingenioſiſſimis, æternis ſunt cōſignatæ litterarum monumentis, tamē faciam non inuitus, vt ex ijs non nullas attingam modo, atque

delibem, non tam vt facultas ipſa laudetur, cuius dignitas nec laude augeri, nec minui vituperatione poteſt, quam & quòd non alienum exiſtimo, initium alicuius diſciplinæ profitendæ ab eius laudatione ſuſcipere, & vt ingenui iuuenes, partim ad eam amplectendam eò acrius excitentur, partim ſe in eius ſtudio artis verſari, quam omni commendatione dignam eſſe audiunt, & gaudere, & gratulari ſibi poſſint. Præcipua autem Iuriſprudentiæ laus in eo mihi videtur poſita, quod viri eruditi vniuerſæ morali Philoſophiæ tribuerunt, vt cum cæteræ artes aliqua tantum ex parte perficiant hominem, melioremque reddát, vt medica ars corpori curationem adhibet, Muſica vocem modulatiorem reddit, Arithmetica in numerando eum, & rationibus ſubducendis, & ſupputandis facit acutiorem, ſimilique modo de alijs dixeris, hæc tamē vna eam perficit hominis partē, qua homo eſt; nēpe rationē, atque animum; cuius quidem animi inſtitutione, vt eſt apud Platonem, neque hominibus, neque Deo pretioſius quidquam aut eſt, aut vnquam erit; id quod faciliùs intellectum iri exiſtimo, ſi ita ratiocinemur. Primum enim quod non nulli eloquentiæ adſcribunt, vt cum in primæua illa rerum humanarum infantia homines in agris beſtiarum more vagarentur, nec diuinæ religionis, aut humani officij rationem vllam colerent, eoſdicant diſertiſſimi cuiuſpiam oratione in vnum eſſe primùm locum congregatos, atque ad meliorem viuendi rationem traductos. id ego natura potiùs ipſa comparatum, & tributum ijs eſſe putauerim: natura enim ipſa hominem conciliat homini, atque alius vt alij aut conſilio aut opibus prodeſſe poſſit, ad cætus hominum amandos, & celebrandos inuitat; vt cum cæterorum animantium, alia in abditiſſimis receſſibus perpetuò latitent, alia per ſyluas & ſaltus ab omni aliena conuictu huc illuc diſſipentur, homi-

certè

certè solũ minime esse solũ velle, sed ad societatem communitatéq; vitæ natũ esse, perspicere liceat: demus igitur hoc naturæ, ut homines in vnum coegerit, ac quodam inter se affinitatis vinculo obstrinxerit; sed vt postquam simul esse cæperunt, fidem colerent, iustitiam retinerent, seruarent otium, demum vt virtutem, vt laudem veram sequerentur, certè solis legibus ferri acceptum debet, quibus præmia benefactis, pœnæ vitijs constitutæ sunt, quibus rebus duabus totam remp. contineri, vnus è septem sapientibus Solon dixit. Atq; inseruit quidem natura communis omnium parens, atque accendit in hominum mentibus earum virtutum, quas dixi, & reliquarum omnium semina quasi quædam, & igniculos: atque hinc fieri crediderim, vt fidem fallere, promissa non facere, iuris iurandi religionem negligere, aliaque eius generis quamplurima, grauia, & odiosa suapte natura plerisque hominum videantur: sed tamẽ quis ignorat, quam imbecillæ sint naturæ vires ad hominem in officio continendum, quàmque facile illa corruptrix animi cupiditas in humanas mentes irrepat, atque inuadat, nisi opportunis, & sapientissimis legum præceptis, quasi frænis quibusdã coërceatur? Itaque si naturam sequeremur ducem, neque ab optimis eius institutis deflecteremus, nihil necesse erat, ea legibus vetari aut puniri, quorum conscientiam mens ipsa humana reformidaret: sed quoniam eò iam progressa est hominum fraus, & improbitas, vt naturæ ipsius leges sanctissimas negligentes, in contraria ipsi studia trahantur, & quæ natura sunt turpia, more iam effecerint, & consuetudine leuiora; ideo tot diuini, & humani iuris volumina, tam multa plebiscita, senatusconsulta, edicta, constitutiones à viris prudentissimis diuino consilio editæ, promulgatæ, & litterarum monumentis cõsignatæ sunt; vt hominis scilicet animus à vero & iusto aberrãs

ad rectum virtutis, & iustitiæ tramitem remigrare, & in suum natiuum honestatis, & probitatis statum vindicari possit; quæ causa est, vt docti viri litteris prodiderunt, quamobrem quò propius ad naturalis legis similitudinem humanæ leges accedunt, eò certior, ac laudabilior ea vitæ ratio sit, quam hominũ generi præscribunt. Atq; hoc, quod dixi, legum latorum propositum & consilium, nec ignorauit doctissimus philosophorũ Aristoteles, dum scripsit, legum finem esse, hominem bonum efficere, & illud scite, vt omnia, Plato, & diuinè eiusmodi commento expressit. Nam cum Iuppiter (inquit) animaduertisset, homines, quamuis simul iunctos, & consociatos, tamen, si nullis essent legibus, nullisque iustitiæ adstricti vinculis, facilè inter se tumultuari, & digladiari, adeo vt qui antea consuetudine, conuictuq; mutuo delectati fuerant, rursus alternis læsi, violatiq; iniurijs, ab se inuicem longè cupidius separarentur, quàm antea societatem, cætusq; communes adamassent, hæc igitur cum aduertisset Iuppiter, Vulcanum demisisse è cœlo fertur, illiq; mandasse, vt res duas vitæ humanæ, societatiq; mutuæ conseruandæ valde vtiles, & necessarias in omnes simul homines dispergeret, ac disseminaret, pietatem, & iustitiam, duo præstantissima diuinæ beneficentiæ munera, quæ nomine potiùs, quàm re ipsa differunt, vt ab doctis viris scriptum inuenio, cum pietas nihil aliud sit, quam iustitia diuina, quæ Deo tribuit, quod ei debetur, honorem scilicet, ac cultum, quemadmodum humana iustitia, & quod ex ea deriuatũ est, ius humanum vnicuique reddit quod suum est. Diuina ergo hæc scientia planè censenda est, quæ rei diuinitus elapsæ, iustitiæ scilicet, notitiam profitetur, quæ Deum ipsum, vt audiuistis, agnoscere potest auctorem: Hinc enim etiam factum esse putauerim, vt cum cæterarum artium inuẽtio humani esse

diceretur

diceretur ingenij, legum tamen originem tamquam rerú planè cœlestium & diuinarum non nisi ad Deos ipsos immortales referret antiquitas: non solum enim Minoa Cretensium leges ab Ioue, Licurgum lacedæmoniorum ab Apolline edidicisse legimus, sed etiam Solonem Atheniensiú leges à Minerua, Zamollim Getarum à Vesta, Numam Romanorum ab Aegeria accepisse, monumentis litterarum proditum est: hinc etiam Platonem videmus cum scribere leges aggreditur, ab Adrastia Dea quadam opem summis precibus implorare; atque omnino leges vel Themi, vel Cereri ipsi ferebantur acceptæ, quam, eam ob causam à Virgilio legiferam appellatam esse crediderim. Iam verò quid ea præstantius scientia esse potest, quæ iustum ab iniusto, æquum ab iniquo, rectum à prauo secernit, ac separat, quæ ad virtutem præmio, vitium pæna prosequendum tota pertinet? Ac fuit quidem apud veteres celebris sophistarú quorumdam opinio, quos exagitat in Protagora, & Euthidemo diuinus Plato, qui negabant, doceri posse virtutem; itaq; summum virum dicebant Periclem, cum filios haberet adolescentulos, præstanti ingenio præditos eos omni, libero viro digna arte curasse instituendos, at in virtutis studio, in quo ipse præstaret, nec esse à se eruditos, nec vt ab alio erudirentur, sibi fuisse curæ: Hoc quale sit, videant ij ad quos pertinet, sed tamen quis vnquam reperietur, qui præclara illa Iurisconsultorum volumina vel per transennam, vt aiunt, aspexerit, & virtutem contendat doceri non posse? Nam qui tandem sunt qui iustitiæ, præclarissimæ omnium virtutis, vt dicebam, quæq; Aristotele teste, splédidior & mirabilior est hespero, atque lucifero, vim, partes, fines docent? Iurisconsulti; qui nos instituunt, quales in patriam, quales in parentes, quales in amicos, quales in nos metipsos esse debeamus? Iurisconsulti: qui,

ſi quando cum ratione digladietur cupiditas, tanquã cum modeſta, & nulla in re graui domina, ſerua procax, adhiberi tradunt oportere illam libidinum omnium moderatricem temperantiam? Iuriſconſulti: quibus erudimur noſtra tueri, noſtris frui, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere, quibus erudimur, bonos defendere, accuſare & oppetere improbos, iniuriã nemini facere, illatã propulſare; quibus erudimur, quæ aduerſus Deũ pietas, qui cultus ſit adhibendus, quæ iuriſiurãdi religio, quæ pactorum firmitas, & fides, niſi iuriſconſultorum libris? Itaque præclarè Cicero teſtatus eſt, vnum ſibi videri XII. tabularum libellum, ſi quis legum fontes, & capita tantum vidiſſet, omnes philoſophorum bibliothecas, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Meritò igitur huius fructum ſcientiæ intelligens idem Cicero mentem, & animum dixit, conſilium & ſententiam Ciuitatis poſitam eſſe in legibus, huius dignitatem commendans Plato legem ſcripſit rem eſſe admirabilem atque diuinam, nomẽque apud Græcos habere à præſtantiſſima rerum omnium humana mente deductum; huius vtilitatem ſentiens Platonis auditor Ariſtoteles ſcriptum reliquit in polyticis, leges rerump. dominas eſſe oportere, & alibi, ἐν τοῖς νόμοις εἶναι τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως, in legibus ſitam eſſe ſalutem Ciuitatis. Atque ſane quis non videt, ſi leges è Ciuitate tollantur, futurum, vt non ſolum, quid ſuum, quid alienum ſit, quiſq; ignoret, ſed vt inde pax, tranquillitas, quies perpetuo abſint, fraus, improbitas, violentia, & quæ ex his ſequutur mala, cædes, rapinæ, furta, ſtupra, tandem omne flagitiorum genus in eam continuò adſciſcatur? Apud Perſas lege cautum fuiſſe accepimus, vt poſt Regum mortem, qui Regibus cariores fuiſſent, inſigniora quæque ſcelera diebus quinq; committerent, non vt male agerent illi quidem, ſed vt quàm malum

malum ſit, diſcedi à legibus, exemplo edocti populi fideliores ſepoſteà Regibus præberent, quos legum non modo obſeruátes eſſe nouerant, ſed etiam adminiſtros. Alia, quæ in hanc ſententiam dici poſſent, conſulto mitto, & quod ſatis ea eſſe puto, quæ dixi, ad legum ſcientiæ dignitatem ſignificandam, & quod nolim nimia earum commendatione eas apud vos viliores quodammodo reddere, quaſi imitari me putetis callidũ venditorem, qui quas res minimi æſtimat, eas vel maximè dilaudat; ſimul vt verè dicam, venit in mentem id, quod alicubi ſcripſit is quem ego libenter ſequor, diuinus Plato; diuinis ſcilicet de rebus modicè, & ieiune ſi dicatur, dicentis infantiam facile excuſari, pictoris exemplo, qui ſi humanam rem aliquá veluti hominis effigiem pingendam ſuſceperit, ab eo verò exacta tunc, & eximia in imitando induſtria expoſcitur, ſin res cœleſtes ſibi ſumpſerit depingendas, vt ſolem, lunam, & reliqua ſydera, ſatis videtur muneri feciſſe ſuo, ſi vel leuem aliquá expreſſerit carũ rerũ imaginẽ; ergò cum legum majeſtas, & præſtantia ea ſit, vt inter res diuinas annumerentur, vt ſupra diximus, nemo me iure reprehenderit, quòd earum laudes, quæ infinitæ ſunt, tenui orationis quaſi penicillo adumbrauerim potius, quàm expreſſerim. Venio igitur ad alteram orationis meæ partem, in qua ſentio vberrimum ſeſe mihi offerre campum veſtrarum laudum prædicandarum, & extollendæ felicitatis meæ; planè enim cùm optabile eſt, omni dignam laude ſcientiam profiteri, cuiuſmodi eſſe legalem peritiam nemo negat, tum verò ſi cui eius profitendæ prouincia obtingat apud eas gentes, quæ cæteris humanitate, prudentia, ſtudio litterarum, aliſque plurimis laudibus antecellant, cum eo vero præclare omnino agi, exiſtimandum eſt. Quamobrem quis nõ mihi iure gratulandum cenſeat, cum ſingulari meo fato in hác

nobiliſſimam

nobilissimam totius Galliæ Prouinciam, eiusq; præclarissimá, & primariam Auenionensem hanc Vrbem ad Ius ciuile publicè profitendum accitus, atque humanissimé inuitatus fuerim? Ecquis enim est, qui huius pulcherrimæ, & felicissimæ Regionis ornamenta, laudes præconia ignoret? Nam siue agri vbertatem desideres, hæc tellus, omnium feracissima, vix hominum expectat culturam, quinimo fructus vltrò maximo cũ fænore reddit; hic Ceres, hic Pallas hic Bacchus domiciliũ esse contendit suum. & cum nemo facile iudicare possit, vter alteri præstet, fatentur tamen omnes, sedem hic singulis esse summe opportunam, atque accomodatam; siue cœli temperiem requiras, hic neque hybernis frigoribus læduntur corpora, neq; caloribus æstiuis terra finditur, sed quà fluminum aquis refrigerata perennibus, quà propinqui maris æstu tepefacta ver nobis ferè perpetuum reddit: siue Vrbiũ, & oppidorum multitudinem, & frequentiam quæras siue portuum tutissimorum capacitatem, siue incolarum industriam, ingenium, probitatem, lautitiam, hilaritatem, hæc aliaq; multa, quæ sciens prætereo, plena manu congessit in hunc, vt ita dixerim, Galliæ ocellum, & delicias, ille omnium bonorum auctor atque largitor Deus. Meritò igitur cum Romanus populus tot exteras Prouincias suo adiunxisset, & subiugasset imperio, hanc tamen vnam designabat eo, quod & hodie retinet, Prouinciæ nomine, quasi peculiarem & propriam suam, sibique vel ob eius præstantiam, vel ob singularem erga se fidem, egregie cará: huius prouinciæ opibus in decénali illa celebri administratione Iul. Cæsar, & reliquos Galliæ populos fregit, & ad plurimos illos, quos ex omnibus ferè terrarum partibus retulit triumphos. & demum ad vniuersi orbis imperiũ viam sibi feliciter muniuit, ac compararauit. Verum hæc sunt illá quidem huic Vrbi cum

reliqua

reliqua hac prouincia ferè communia, sed non minores sunt eius præcipuæ laudes, quibus inter alias plurimas Ciuitates excellit, maximis omnino par, & æqualis, nulla planè inferior iudicanda est. Quis enim primùm non miretur situs commoditatem, mœnium elegantissimam structuram & admirabilem firmitatem, ædium, tum sacrarum, tum priuatarum amplitudinem, omnium vænalium rerum copiam, agri eximiam, quæ cũ fertilitate certat, amœnitatẽ, fluminis propter Vrbis moenia bellissimè fluentis rapiditatẽ, pontis omnium celeberrimi magnificentiam, Ciuium prætereà nobilitatem, & egregios spiritus, humanitatem in suos, comitatem in alienos, in Deum pietatem, in omnes mortales fidem? iure igitur optimo summi Romani Pontifices ante trecentos ferè annos, hanc sibi Vrbẽ pro tutissima sede, temporibus Reip. ita postulantibus, delegerunt, in eàq; per septuaginta fermè annos libentissimè consederunt, hoc fuit eis perfugium, hæc quies, dum Italia arderet bellis, æstuaret incendijs intestinarũ seditionũ, cum huius demũ felicissimæ Ciuitatis domicilio cõmutandũ sibi putarũt illud theatrum vniuersi orbis, illam sedem religionis à D. Petro constitutam, illam deniq; vrbem aliarum reginam vrbium, & caput, Romam: Qua diuturna Romanorum Antistitum cõmoratione, nemo ignorat, quantum huic Ciuitati splendoris, quantum dignitatis accesserit, quantum præterà eius ciues amoris, & studij in eos susceperint, iam non modo eorum hospites, sed subditi Romanæ Ecclesiæ effecti, Clemente VI. regnante; cuius quidem studij, & obseruantiæ sequentibus temporibus, signa quàm plurima, & argumenta dederunt, quæ commemorare me nihil attinet, ipsi vicissim summis prærogatiuis, immunitatibus, ac beneficijs à gratissima sede Apostolica affecti, atque honestati. Merito enim hanc Vrbem Romani

Pontifices caput totius Pontificiæ prouinciæ, & sedem suorũ Præsidum, & legatorum esse voluerunt; merito eam Archiepiscopali dignitate ornarunt, merito in ea constituerunt præclaram istam & celebrem,& in iure æquabiliter, & sanctè dicendo non variam, aut versatilem, sed maxime omnium firmam, & constantem Rotam. Sed nulla est huius Ciuitatis laus amplior, & honestior, quàm quòd proximis superiobus annis cum nobilissimum Galliæ Regnum immanissimis fluctuaret discordiarum & bellorum procellis, cum fœdissimæ hominum perniciose opinantium lues in omnibus prouincijs grassarétur, cũ nihil haberét antiquius quá quib' reb' duab' vniuersorum regnorũ salus cõtinetur, religione erga Deũ, aduersus Principẽ fide,& obsequio,eas vt in his regionibus, vel labefactarent, vel penitus etiá couellerét, atq; ex hominũ métibus exterminarét, vna tamẽ Auenionensis Ciuitas purissimá se in medio propinquarum prouinciarum cæno ab omni violatæ vel antiquæ relionis,vel sacræ Romanæ Ecclesiæ Imperij labe seruauit, & quæ eius constantia est,& erga eamDei beneficentia,perpetuo vt spero, seruabit Dies me deficiat, Auditores, si omnes huius Vrbis Ciuium laudes, quas ipsi recte agendo præstiterunt, dicendo persequi velim, & verò notiores sunt, quàm vt meam, vel cuiusquam orationem desiderent. Illud tamen facere non possum, quin non modo recenseam, sed summe laudem, atq; commendem, quod ad cæteras laudes, illam praclarissimam adiũxistis, nobilissimi Auenionẽses, quod volueritis hac vestra in Vrbe florentissimum esse omnium doctrinarum gymnasiũ, in quo excolerentur ingenia, formarentur mores adolescentum studiosorũ, huc è proximis ac longinquis regionibus confluentium: huc spectant tot honestissima iuuenum Collegia, à maioribus vestris sanctè instituta, & eleganter constructa, à vobis sapienter administrata. Et sane quid potuit excogitari,

aut iuuentuti vtilius, aut ad gymnaſij conſeruationem, & perpetuitatem opportunius, quam hæc collegiorum inſtitutio? Laudabilis enim illa vitæ, ſtudiorumque coniunctio mire facit ad progreſſus eximios in omni doctrinarum genere breui ſpatio faciendos: nam quæ auditor excepit in ſchola, fortius tenet, aut quæ non excepit, facile addiſcit, dum ea domi ab alio conuictore, & condiſcipulo audire poteſt; ibi adoleſcentis vnius torpor, & in ſtudijs languor, alterius induſtria, & exemplo excitatur, ibi demum pietas, quæ omnium ſtudiorum eſt fundamentũ, quæq; nos in omni vita comitari debet, imbibitur. Sed quemadmodum huius gymnaſij beneficium quàm ampliſsimum eſſe voluiſtis, adeo vt illud non modo veſtri Auenionenſes adoleſcentes frequentent, ſed exteri etiam quamplurimi ad illud ventitent, vel gymnaſij ipſius celebritate adducti, vel moti pulchritudine Vrbis, vel collegiorum, in quæ & ipſi humaniſsime recipiuntur, commoditate allecti, ita licet hæc Ciuitas tulerit omni ætate viros iuris ciuilis, & aliarum doctrinarum ſcientia inſtructiſsimos, quorum opera, & induſtria ſatis ſuperque erat ad ſuſtinendam, atque augendam, huius gymnaſij famam, tamen quæ veſtra fuit ſemper erga liberales artes propẽſio, ſuperioribus annis viros omnium doctiſsimos, & in iure præſertim põtificio, & ciuili profitendo, & docendo exercitatiſsimos, & celeberrimos cum ex alijs prouincijs, tum præcipuè ex Italia noſtra honorificentiſsimis conditionibus ad veſtram Vrbem, & gymnaſiũ euocaſtis; hic Oldradus, hic Bellamera, hic Paulus Caſtrenſis, hic Io. de Garronibus, hic Bonifacius Vitalinus ante multos annos iura vel ciuilia, vel Pontificia interpretando maximam ſibi, maximam huic Academiæ nominis celebritatem & ſplendorem attulerunt: hic Io. Franciſcus Ripa I. C. celeberrimus nonaginta penè abhinc annis ſumma

cum eruditionis laude profiteri cæpit: hic Andreas Alciatus, vir elegantissimo ingenio, & multiplici rerum ferè omnium scientia præditus, ætate iuuenis, & publice docendi ad eam diē insolens, sed vel exercitatissimis præstantior, è superiore loco pluribus annis docuit, & ex Italia iuris interpres accitus bonus, Italiæ redditus melior, ex Auenionensi fonte, & tyrocinio ad eam profluxit maturitatem, & famam, qua vel celeberrimos vita functos viuus anteiuit, & nunc mortuus an viuum aliquem parem habeat, ignoro: hic Æmilius Ferrettus maximum per aliquot annos docendo specimen dedit exquisiti ingenij, & recōditæ doctrinæ, & tandem hic moriens, magnum sui omnibus bonis, & iuris studiosis desiderium reliquit; hic demum Io. Angelus Papius I. C. insignis, & facundissimus interpres diu profitendo viam sibi strauit ad alia Ecclesiastica munera, & honorum gradus in Romana Curia consequendos. Hisce veluti gemmis quibusdam hoc gymnasium antea collucens, & illustre, si ob varios præteritorum bellorum casus, aut quascunque alias ob causas proximis superioribus annis non clarissimum alicui factum videri poterat, maximam sanè prudentiæ laudē promeriti estis, Amplissimi Consules, cæterique ciues Auenionenses, quod superioribus mensibus diligenter egistis cum S. D. N. Paulo V. & Illustrissimo Legato vestro Cardinali Burghesio, vt suis auspicijs hanc Academiam in pristinum nitorem ac splendorem restituerent: quorum nutu, & iussu cum, vobis etiam benignè annuentibus, ego ad meam vobis hac in re qualécunque præstandam operam vocatus fuerim, sentio, quantum mihi sit oneris impositum, vt ne tanto aut testimonio, aut iudicio plane indignus existimer. Atque nunc ad postremam me orationis meæ partem peruenisse intelligo, in qua cum pauca quædam de me ipso, & studijs meis, ac de genere

inter-

interpretandi iuris ciuilis dixero, perorabo. Cum igitur Perusiæ natus essem, Perusiam verò cum dico, nemo existitimet, oppidum me dicere sub Apennini iugis frigore enectum, aut niuibus consepultum, sed Vrbem ex Italiæ antiquissimis, nunc inter Etruriæ, & Ecclesiasticæ ditionis primarias, armorum & litterarum gloria, præcipuè vero Iurisciuilis professione clarissimam, è qua præclara illa Iurisprudentiæ lumina effulserunt, Bartolus, Baldus, Angelus, alijq; quam plurimi, sed cũ Perusiæ natus essem, ab ineunte ætate Rhetoricæ, Poeticæ, Philosophiæ in honestissimo Seminarij Collegio per decem annorum spatium sedulo data opera, memini per id temporis, sæpe auditũ me publicè sacris in ædibus orantẽ, nũc pro studiorum initio, nunc in Diecæsanis synodis, nunc in præstantium virorum vita functorum laudationibus; memini etiam laudatas multis, & probatas iuueniles illas nostras exercitationes, eam credo ob causam, vt ad grauiores, & sequenti ætate digniores disciplinas fierem capessendas alacrior. Proinde cum sacrarum legum scientiam toto animo essem amplexus, ad quam eram tum communi nostris hominibus, & naturali propensione animatus, tum verò eius studio longè magis, domestico, & gẽtilitio exemplo incensus, & inflãmatus, quippe qui ex Vbaldorum essem ortus familia, quæ Baldum illum, Angelũ, Petrũ, germanos fratres, & longam nepotum Iurisconsultorum seriẽ edidit, quorum famam doctrinæ, & in legibus interpretandis industriæ ad omnes iam gentes, quæ legibus viuerent, peruasisse intelligebam, cum hæc igitur ita essent, atq; post aliquot annos doctrinæ insignia essem cõsecutus, publico statim decreto ius ciuile publicè in patrio gymnasio profiteri cæpi, in eoq; docendi genere septendecim ipsos annos, nunquam intermissa opera, contriui; ad Messanense etiam gymnasium, sexto ab

hinc anno, honorificentissimo stipendio conductus, inox assiduis meorum Ciuium vocibus, precibusq; in patriam reuocatus. Atq; hoc tempore, quæ fuerit Iuuenum scholasticorum ex Romana, Etrusca, Vmbra, atq; adeo totius Italiæ, Gallorũ præterea, Hispanorum, Germanorum, Sarmatarum nobilitate ad me audiendum ventitãtium copia, quàm fuerit ijs probata nostra, si minus eruditio, quæ, sentio, quam sit exigua, at certe opera, industria, & docendi sollicitudo, quàm præterea libenter plures Rom. Ecclesiæ Cardinales, alijq; Ecclesiastici proceres me dicentem, atq; docentem sæpe audiuerint, quàm etiam feliciter non nulli, dũ Perusiæ litterarũ studijs, me docente, operam darent penè ab meo fuerint auditorio ad Cardinalatũ rapti, hæc, aliaq; eius modi ex aliorum malo vos, quàm ex mea oratione cognoscere In hoc rerum, & fortunarum mearum statu, binæ me superioribus mensibus litteræ exceperunt Illustrissimi atque Amplissimi Cardinalis Scipionis Burghesij, quibus de sanctissimi Pontificis Auunculi sui voluntate, instaurãdi atq; ornandi huius gymnasij certiorem me factum, monebat, non enim ausim dicere, rogabat, sed rogabat tamen, quæ est eius eximia, & summæ, quam gerit, dignitati, æqualis humanitas, vt huius Academiæ primarium locum, honestissimis atq; amplissimis conditionibus propositis, acciperem; pergratum id futurum, adijciens, optimo atq, Sanctissimo Principi Paulo V. abs quo testabatur, me electum, & nominatum ex multis vnum, quem tantæ rei præficeret. Nõ potui, vt verè dicã, non admirari tanti Principis, patroni tanti singularem, incredibilem, ac pene vt ita dixerim, diuinam humanitatem, quòd nulla mea prensatione, nullo ambitu, precibus plane nullis, sed suapte sponte hanc mihi sedem deferendam censuissent, in qua exactis temporibus viri clarissimi iurisq, scienti ornatissimi

maxima

maxima cum ingeuij, & doctrinæ laude floruissent. Itaq; rescripsi in eam ferme sententiam, vt me dicerem tãto oneri imparem, cupidissimum tamen obsequendi, parendi: si qua mihi facultas esset, è superiore loco docẽdi, eam amplissimo præsertim Cardinali Burghesio, probe cognitam esse posse, qui nostra opera per quinq; ferme annos vsus esset, quibus meo patrio gymnasio tanquam sydus fulgentissimum illuxisset, & meum auditorium, alioquin per se obscurum, ornasset, atq; illustrasset: eam si operam sibi placeret transferri ad huius nobilissimi gymnasij commodum, & vsum, nihil repugnare me, quo minus vel cum ingenij, & qualiscunq; de studijs nostris iam forte collectæ famæ periculo, fidei saltem, obsequij, & obedientiæ laudem referrem. Post hæc Romam concessi, vbi Sanctissimo Pontifici pedibus exosculatis, & abeo benigne receptus, & humanissimis verbis dimissus, vbi Illustrissimum Legatum vestrum frequenter allocutus, meamq; illi obseruantiam, & vobis inseruiendi voluntatem coram sæpe testatus nihil potius habui, quam vt quam primum per occupationes licuisset, & anni tempus, ad vos cõuolarem. Ita me Sanctissimi D. N. voluntate, Illustrissimi Legati iudicio vestrũ factum, vobisq; pene de manu traditum, vt qua beneuolentia, & humanitate suscepistis, eadem benignitatis, & cõstãtiæ laude tueamini foueatis, ne rogandos vos quidem, aut monendos puto. Equidem, quod ad me attinet, sentio oneris mihi impositi magnitudinem, ac pondus, noui imbecillitatem non solum ingenij, sed etiam valetudinis meæ, qua plane vtor non firmissima, intelligo, quantum habeat momenti tot præstantissimis viris, qui in hac Academia sub extraordinarij professoris titulo floruerunt, succedere; scio, quod veteri est in prouerbio, quam difficile sit, post Rosciũ in Orchestra placere: quod si vir eloquentissimus

quentissimus Antonius, vt apud Tullium legimus, magnopere cauebat, ne Crasso oratori dicenti succederet, longe magis mihi eiusmodi periculum fugiendum fuisse video; sed tamen arduis, atq; honestis in rebus vel conatus ipse laudi semper fuit, & quos assequi ob eximiam virtutem nō possis, laudaberis certe, si, quantum potueris, imitere; neq; enim si quis Achillis in rebus bellicis gloriam consequi non potest, is Aiacis, aut Diomedis laudem aspernabitur, vt scriptum reliquit Fabius. Contendam igitur omnes industriæ meæ neruos, in eaq; cogitatione dies noctesq; ero defixus, vt qui Sanctissimi Pontificis, Amplissimi Cardinalis Legati, & demum vestro iudicio, Consules perillustres, cæteriq; Ciues Auenionenses ornatissimi, hunc primarium & honestissimum gymnasij locum obtinuerim, eius dignitatem, si minus doctrina & ingenio, at certe laboribus, assiduisq; vigilijs pro virili sustentem. Genus vero interpretandi quale nostrū futurū sit, forte si quæritis, quod erat postremum à nobis propositum, equidem vix possum paucis potius id verbis in præsenti eloqui, quam in posterum reipsa ostendere, & exprimere; sed tamen animaduerti duo esse genera iuscivile interpretandi præcipua, & insignia, cum interpretantium ipsorum auctoritate, tum vero etiam inter se iudicij dissensione, atq; dissidio: alterum quod ij profitentur, qui legum ipsarum verba, sensumq; tantum explicantes, iuris cognitionem non nisi ex veterum ipsorum Iurisconsultorum responsis, & principum constitutionibus nobis tradere conantur, in eoq; ipso, latini sermonis facultate, & elegantia adeo præstant, vt qua veteres illi Iurisconsulti munditia orationis, senatus consulta, plebiscita, edicta, & reliquas iuris partes interpretati sunt, Papinianos dico, Vlpianos, Paulos, Marcellos, aliosq; plures, ea plane, aut eius simillima nostri isti recentiores eorum

res eorum

res eorum ipſorum Iuriſconſtorum reſponſa, & interpretationes nobis referant, atq; explanent : tales Italia, & Hiſpania, non ita multos, non nullos Germania, plures vero, intra centũ proximorũ annorũ ſpatiũ tulit Gallia, vt Alciatos, Vaccas, Ferrettos Italia, Auguſtinos Hiſpania, Zaſios, Donellos, Vulteios, Scrhaderos Germania, Budæos, Cõnanos, Duaræno, Barones, Coraſios, Balduinos, Ræuardos, Cujacios, Briſſonios, Muretos Gallia. Alterũ vero docẽdi genꝰ ſecuti sũt lõge plures, qui poſt Azonẽ, Accurſiũ, & alios illi ætati ſuppares, Ius ciuile verboſioribus cõmẽtarijs referſerũt, in quibus diſputationes attexũt ſubtiliſſimas, & copioſiſſimas in vtrãq; partẽ cõcinnatas, de ſingulis fere, quæ occurrant, argumẽtis, quiq; certis quibuſdã doctrinarum limitibus ius noſtrum circumſcripſerunt; hiq; non tam leges legum aliarum allegatione & ſenſu interpretantur, quam cæterorum interpretum auctoritate, mutuam ſibi præſtantes operam, ſententias confirmant ſuas, adeo vt id demum firmum, ratumq; habeatur, quod plurimorum interpretum communi quodam conſenſu videatur receptum. Atq; iſti quidẽ, quorũ maximam partẽ Italia protulit, mirũ eſt, quàm in docendo infantes fuerint, & impuro ſermone ſint vſi; aut potius non mirum eſt: vt enim flumina, quò longius ab ſuo fonte proceſſerint, eò videmus fluere magis turbida, & lutulenta, ſic cũ iſti à veteribus illis legum capitibus, & puriſſimis fontibus non parum deflexerint, nemo mirari debet, ſi eos aliorum concurſantium riuulorum colluuies inquinauit: quod qui in Bartoli, Baldi, Caſtrenſis, Alexandri, Iaſonis, Decij, Soccini, & aliorũ eius generis innumerabiliũ interpretum commentarijs paululum verſatus eſt, facile intelligit; & id certe non modo fatendũ nobis Italis, ſed etiam ſummopere dolendum eſt, quod, quò propius à latio abſumus, eò minus latinè loquamur. Horum

quidem vtriusque generis interpretum, vti laudabiliores, & ad excolenda Iuuenum ingenia vtiliores, & aptiores habendi sint, non est meæ aut facultatis, aut iudicij certò pronunciare, & litem secundum alterutros dare; illi quidem elegantes, suaues, & ijs, qui politioris litteraturæ studiosi sint, planè amabiles, paulo tamen sicciores, & ieiuniores, quàm vt ad hodiernã praxim, & iudiciorum stylum aptari possint; hi contra horridiores, & inculti, summe tamen in toto genere acuti, in refellendis contrarijs sententijs subtiles, in suis confirmandis diligentes, & graues, in veterum placitis ad hodiernos mores inducendis, mire quidam ingeniosi; illi, quòd breuiores concinnant ad singula legum capita interpretationes, progressionibus vtuntur eximijs, adeo vt qui eam docendi formam sequatur, paucorum annorum spatio, quidquid continent vniuersi iuris ciuilis libri litterarum, tractare, & suis auditoribus enarrare, nõ cum magno negotio possit: at contra horum vt interpretationes longiores, ita progressus tardior; vt illos qui dem cursoribus velocissimis comparare possis, qui mutatis subinde equis immensa conficiunt breui temporis spatio itinera, hi verò otiosorũ, & pedestrium peregrinatorum persimiles videri possint, qui & pauciores terrarum oras perlustrant, & diutius in singulis immorantur, vbi per quietem & otium minuriora quælibet diligenter scrutentur, quæ modo scitu digna sint, quæ sit Ciuitatis, ad quam peruenerũt, origo, qui Ciuium mores, quibus regantur legibus, quo Principe, quæ ædificiorum priuatorum structura, quæ templorum magnificentia quàm affabrè stratæ viæ, quàm scite positæ arces, quàm munitæ, quàm custoditæ, aliaq; eius generis sexcenta. In hac tam diuersa professorum eruditissimorum ratione docendi, & interpretaudi, difficilis sanè videtur deliberatio, vt dicebam, vtram probemus, vtram sequamur,

ſequamur,hoc certe nomine poſteriores iſtos Bartoli & Accurſij ſectatores laudabiliores videri poſſe, non negauerim, & quò fœdiores ſtylo,eò candidiores animo iudicandos,quòd alterius ſectæ politiores profeſſores non inſectantur, immo,ſi qua poſſunt, ab ijs corrogant libenter, & mutuantur, quæ ex elegantioribus doctrinis petita facere poſſint ad legis, vel,vt nunc loquimur, contextus, quem præ manibus habent, intelligentiam ; at contra illorum vt ingenium elatius, ſic ſcripta amariora videas in eos, quos contumeliæ ergò Accurſianos, & Bartoliſtas appellant, quibus cum perpetuum ſibi ferò bellum indictum volunt, quos nullis, non verborum, aut technis eludũt, aut conuicijs inceſſunt ; itaq; nihil tam penſi habent, quàm vt eos alicuius errati reos coarguant, & condemnent, non ſolum inauditos, ſed longe antea vita functos ; & conſepultos ; in quod tamen erratum illi, viri plane optimi, ob bonarum litterarum ignorationem plerunq; impegerint, vitio potius ætatis, quàm ſuo. Sed vt vt ſit, ego fui ſemper eius ſententiæ, quã etiam alijs non nullis præſtantiſſimis iuriſconſultis placere video, vt vtroſq; attingendos interpretes, vtroſq; imitandos, lectitandos, perdiſcendos auditoribus meis proponerẽ, vtroſq; ego ſequerer prælegendo, nec ſi Accurſij, Bartoli, Iaſonis, Decij aliorumq; eius notæ ſcriptorum methodum interpretandi aliquando approbaſsẽ,& expreſſiſſem,continuò me ab illis elegantioribus alienum oſtenderem, quos ſupra commemoraui, neq; contra,ſi hos nonnunquam adamaſſem, & eſſem ſecutus interpretando, neceſſario propterea alios non ita elegantes, & ornatos amandandos, & reijciendos putarem. Ac Solõ quidem ſapientiſſimus alioquin Græcorum legem tulit, qua capite puniri eos iuſſit, qui, ſeditione commota, non ſe in alterutram partem dediſsent,nobis tamen in hac litteraria,& quidem gra-

uiſsima ſeditione aliter agendum puto , vt ſcilicet quantũuis ipſi inter ſe certent, atq; digladientur interpretes, nobis tamen eorum quemq; pugnare arbitremur, neq; pro ſingulis nos ſtare profiteamur, ſed potius ex ſingulis decerpere, & delibare conemur, quod ad noſtra ſtudia iuuanda, & ſubleuanda vtcunq; accommodatum eſſe videatur. Itaq; quemadmodum in Romano ſenatu apud veteres more receptum fuiſſe accepimus, vt ſi quis ex ſenatoribus aliquid cenſuiſſet, quod alteri non niſi ex parte probaretur, js iuberet eum, qui cenſuerat, ſententiam diuidere, vt quod ſibi tandem placeret, ſeorſum eligere, & ſequi poſſet, ita quæ vel hi, vel illi iuris interpretes ſcriptitarunt, ſecernamus, & ſeponamus cenſeo, vt quod apud ſingulos laudatiſſimum erit, approbare, & ſequi in noſtrum compẽdium poſsimus. Fateor quidem, quod ad me ſpectat, diutius me in Italorum interpretum docendi conſuetudine fuiſſe verſatum, & quæ in patrio gymnaſio hominum doctiſsimorum inueneram impreſſa veſtigia, ea me ſecutum, ſi minus feliciter, at certe non cum modica commendatione diligentiæ, atq; induſtriæ: eam igitur conſuetudinem, neq; ego dimittere in animo habeo, neq; à vobis improbatum iri confido; itaq; diſputationibus res agetur, in vtramq; partem compoſitis, Academico penè more, quibus veritas non ſecus, atq; è ſilice ignis eruitur, & exprimitur, atq; è Democriteo illo profundo quaſi elata, in lucem hominum, conſpectumq; producitur; quod genus profectum à Principe, & fonte Philoſophorũ Socrate, Plato diuinitus expreſsit, & in pleriſq; ad Ethicen & Polyticen pertinentibus libris ſecutus eſt Cicero; vt iuris ciuilis ſcientia, quæ ex polyticis fontibus tota profluxit, aut cognoſcenda, aut tradenda, ſatis apta, & opportuna methodus illa videri poſsit. Accedat, quod cum in hac florentiſsima Academia quàm plures

viri

viri doctissimi, & in omni iudicio politissimi, professi fuerint, quos supra nominaui, duo tamẽ insignes & diutius in ea claruerunt, & vberiores posteris reliquerunt iuris commentarios, hac in Vrbe concinnatos, & compactos, Io. Franciscus Ripa, & Andreas Alciatus, Itali ambo, aut Cisalpini Galli ambo; quorũ vterq; Italicum prælegendi & disputãdi morem hic retinuit, & quæ docens prælegerat, eodem stylo litteris commẽdauit; de quibus ita statuo vt Ripa quidem aut noluerit, aut vix potuerit alio vti genere interpretationis, quippe, qui quãuis alioquin summa eruditione, & præclaro iudicio præditus, elegantioris tamẽ doctrinæ non omnino peritissimus haberetur; at vero Alciatum, omnium liberalium artium cognitione ornatissimum, qui post Budæum proximus, iuris ciuilis libros fere omnes ad antiquum nitorem, veramq; lectionem reuocare conabatur, tamen hac in Vrbe, certo iudicio eum; quem dico, apud Italos vsitatum interpretandi modum, secutum videmus; cum tamen in alijs Galliæ Vrbibus, in quibus etiam professus est, Gallicum potius approbauerit; vt ex ea re non solum intelligi possit, ipsum in vtroq; genere magnum, & eximium fuisse, quod nescio an alteri cuipiam pari cum laude contigerit, sed etiam vtrumq; genus laudabile esse, tanti viri exemplo, & præiudicio existimare possimus Tuebor igitur institutũ meum vobis, vt arbitror, non inuitis, vt quæ in disputationem cadunt, ñe omittam disputationibus terere, vt veritas tenebris obducta eruatur, & ab aduersariorum calumniantium argumentis, quasi telis quibusdam vindicetur, & defendatur. Quod si alijs huius gymnasij præclarissimis interpretibus alia forte prælegendi ratio in vsu est, nouitate saltem ipsa nostram fore non ingratam puto: & alioquin satius videtur ex duobus generibus profitendi iuris ciuilis, quæ supra proposui,

vtrumq; vigere in Academia nobilissima, quàm alterum tantum: cum ipsa varietas mirè possit auditores allicere, & in officio continere. Sed nimis multa hac de re fortasse effundo: cum neminem plane futurum putem, qui me reprehendat, si homo Italus, quæ in Italia vniuersa, recepta est ratio docendi, secutus fuero, si in gymnasio Auenionensi eadem vtar methodo, & stylo, quo in eodem gymnasio non modo Paulus Castrensis ante ducentos annos, sed patrum nostrorum memoria Alciatus, Ripa, quo in Gallia Decius circa hoc ipsum, quod nostris huiusce anni laboribus proponitur, bonorum possessionis argumentum, vsus est. Quod si qui erunt, fore autem non paucos certo scio, quibus alterius sectæ professorum & interpretatio breuior, & oratio purior, & ornatior arrideat, ij faxo, vt nec illorum interpretum, si qua erunt ab ijs acute excogitata, & eleganter mandata litteris, in nostra legum interpretatione desiderent; dicendi caractere, & stylo à nobis expressa, facili potius, fereq; natiuo, & tamen, nisi fallor, latino, quàm diligentius culto, aut artificiose pexo, & facto; scilicet vt erga eas litteras, quæ honestissimo vocabulo appellãtur bonæ, nõ male me esse animatum, eos agnituros, plane confidam. Nunc ad vos tãdem, studiosissimi iuuenes, postrema hæc orationis meæ particula dirigetur, quos ad studia litterarum hortari non debeo, satis, vt puto, vestrapte sponte incensos: sed tamen animaduertitis, nihil prætermittere prudentissimos hos Vrios, quibus hoc gymnasium curæ est, vt facilior vobis sternatur via ad virtutem, & doctrinam, quam quæritis, adipiscendam: habetis hic, eorum beneficio, tot viros doctissimos, Philosophiæ, Theologiæ, Medicinæ, Iurisprudentiæ professores, quorum opera omnis in vobis instituendis insumitur; vt sicut apud Ægyptios singularum dicuntur esse partium corporis Medici,

ita vos

ita vos ſingulas ferè ſapiẽtiæ, & doctrinæ partes à ſingulis poſſitis profeſſoribus haurire, atq; addiſcere, quibus quidem, cum opera etiam noſtra acceſſura ſit, eam veſtro vſui, & commodo paratiſſimam ſemper fore polliceor. Intelligitis qua benignitate Sanctiſſimus D. N., & Illuſtriſsimus Legatus hác veſtram Academiam ornandam, atq; augendam ſuſceperint; cernitis quo ſtudio Illuſtriſsimus Prolegatus, & Illuſtriſsimus huius Vrbis Archiepiſcop' ideq; gymnaſij Cancellarius nobis ſemper præſto futuri ſint: cuius quidem ſtudij, ſummæq; qua præſtant, humanitatis egregium dediſſe perſpicitis hodierna die argumentum, cum poſthabitis grauioribus curis, quas gerunt pro communi ſalute, impolitam hanc noſtram orationẽ audire, & vniuerſum hoc auditorium ſuo honeſtiſsimo conſpectu decorare voluerunt: quamobrem incumbite, per Deos immortales, Iuuenes optimi, in hæc litterarũ ſtudia, digna ingenio, digna induſtria, digna nobilitate veſtra: ea vero dijs vobiſq; fauẽtibus poſt hác diẽ die tertia, quæ erit Saturni, hora nona matutina, hac noſtra quãtulacunq; interpreãdi facultate iuuare incipiemus. Omnes igitur, iuuenes ornatiſsimi, induſtria pares, ſtudio ſimiles, volũtate ijdẽ ad virtutem & doctrinã properate, hac præſertim ætate, qua eſtis, planè ad diſcendum, omneſq; labores perferendos aptiſsima; neq; enim Solonem audiendũ eſſe Plato ſcripſit, cum js diceret, hominem ſeneſcentem poſſe in dies plurima diſcere, cum enim minus id poſſe, quàm currere: non ſine magnis certe laboribus, quod vultis, aſſequemini, ſed non niſi magna vos præmia manent, ſi quod potueritis, enitemini; alios languor, & deſidia delectet, vos nihil illitterato otio turpius iudicatote, alij corporis, & abdominis ſui voluptates conſectentur, vos animum, quem nihil ſponte ignorare Plato aiebat, doctrina, & cognitione depaſcite, alijs

ſit ob

ſit ob ſomnum amica nox; vos eam habetote veſtrorum laborum, atq; vigiliarum teſtem, alij deniq; ita viuant, v nihil eorũ vita vel fædius, vel miſerius exiſtimari poſsit, vos ad eam, virtute, doctrinaq; duce contendite, quam pauci veram norunt, paucißimi aſſequuntur, nemo non concupiſcit, felicitatem dixi.

FINIS.

